This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



QUAESTIONES HISTORICAE

DE

M. VIPSANIO AGRIPPA.

600034479X

42.
928.

QUAESTIONES HISTORICAE

DE

M. VIPSANIO AGRIPPA.

QUAESTIONES HISTORICAE

DE

M. VIPSANIO AGRIPPA.

SCRIPSIT

H. J. VAN ECK,

PHIL. THEOR. ET LIT. HUM. DOCT.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.

MDCCCXLII.

928.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

PRAEFATIO.

Quum ex multis veterum scriptorum locis intellexissem, aetate Augusti unum e primariis viris optime de re publicâ meritis M. Vipsanium Agrippam *fuisse; haud inutilem operam me suscepturum arbitrabar, si ad obtinendum honorem Academicum de hujus viri vitâ rebusque gestis dissertationem conscriberem. Neque satis habebam hoc consilium modo cepisse, sed statim etiam ad colligendam materiam accedebam. Sed quum jam multum temporis ac studii in illo opere impendissem, inque loca quaedam difficiliora incidissem, ex quibus quo modo me expedirem, invenire non potuissem, vidi me juvenili fervore abreptum fuisse, atque omnino ex re meâ esse, ut propositum meum cum magistris meis communicarem. Quum igitur illos consuluissem, et quaesivissem, an jam viri quidam docti hoc argumentum, in quo ego vires qualescunque meas experiri vellem, ante me tractassent et literis consignassent; audivi id jam factum esse a* Gebauero,

Blondeo, Frandsenio *et* Weicherto (1), *nec quidquam me melius facere posse intellexi, quam ut horum virorum scripta conquirerem. Duorum priorum opuscula in bibliothecâ Academicâ inveni, et deinde mihi e Germaniâ duorum posteriorum scripta comparavi. Lectis igitur illis omnibus, (quibus nuperrime* Matthesii *Specimen Academicum accessit) mihi apparuit, hanc materiam praecipue a Frandsenio tantâ eruditione explicitam esse, ut aliam viam ingredi deberem, nisi lectoribus recoctam, ut ajunt, cramben apponere vellem. Hinc, mutato consilio, sumsi librum Frandsenii, et ex eo quaedam excerpsi, in quibus a viro doctissimo dissentiebam, quaeque ille magis ex conjecturâ, quam veterum scriptorum testimoniis posuisse mihi videbatur. Porro autem his addidi nonnulla alia ex caeteris, quos nominavi, scriptoribus ad vitam et res gestas Agrippae spectantia, et cum Frandsenii libro proxime conjuncta. Atque sic haec dissertatiuncula mea nata est.*

Haec habui, quae praemonenda putarem, sperans caeteroquin, ut aequos et benevolos lectores nacturus sim, qui cogitent, me non ut alios docerem, sed ut ipse discerem, et conscribendae dissertationis necessitati satisfacerem, animum ad hoc negotium appulisse.

---

(1) *Librorum ab his viris doctis scriptorum integros titulos in fine hujus dissertationis exhibui.*

CAPUT PRIMUM.

In omni historiâ describendâ multa observentur, necesse est, si quidem historici non tantum est res gestas simpliciter tractare, verum etiam ab eodem exigitur, ut in rerum causas et eventus inquirat. Jam vero, quod ad rerum gestarum causas attinet, hae plerumque ab hominibus proficiscuntur. Atque si animum ad homines convertimus, in illis praecipue spectandum, quales, sive naturâ, sive formatione sint. Formatur autem homo imprimis aliorum consuetudine ac familiaritate. Itaque in homine dijudicando ante omnia videndum est, quosnam ille, cujus vitam scripturus sis, amicos et familiares habuerit, idque eo magis, quo majus pondus et momentum conjunctio amicorum in alicujus res gestas habuerit. Quae cum

ita sint, quis est, qui non videat, ad Agrippae vitam recte intelligendam imprimis valere, ut sciamus, qualis amicitia Augusti et Agrippae fuerit?

Haec igitur amicitia ab omnibus fere historiae Romanae scriptoribus admodum laudatur: verum Frandsenius hanc ipsam amicitiam magis ex utriusque commodo et privatis consiliis constitisse, quam ex animorum mutuo consensu ortam esse probare conatus est. Quod utrum vere, an secus, ab eo factum sit, hoc capite inquiremus.

Primum igitur, quod ad pueritiam Agrippae spectat, dolendum omnino est, de eâ nihil fere ad nostram notitiam pervenisse. Praeterea certo affirmari nequit, quae prima causa amicitiae inter utrosque viros fuerit. Scimus quidem illos simul Apolloniae fuisse, sed an alter alterum Romae jam antea cognoverit, omnino incertum est. Dicit quidem Weichertus (1) *postquam autem* (Agrippa) *a patre Romam deductus et rhetoribus Latinis Graecisque in disciplinam datus fuerat, sine dubio forte fortunâ accidit, ut Augusto subinde innotesceret atque iisdem, quibus ille, usus magistris artiore familiaritate conjungeretur*, sed hoc nullo testimonio veteris alicujus scriptoris probatur, ideoque pro merâ conjecturâ tantummodo habendum est. Quomodocunque vero hoc se habuerit, negari omnino non potest, inter illos Apolloniae amicitiam, nisi ortam, certe confirmatam fuisse, uti novimus tam ex Vellejo

(1) Lib. laud. pag. 84.

Paterculo (1) et Suetonio (2), quam ex Nicolao Damasceno (3). Praeterea etiam ex aliis scriptoribus, nominatim ex Nepote (4), Appiano (5), Plutarcho (6), Dione Cassio (7) aliisque apparet, amicitiam inter Augustum et Agrippam non modo exstitisse, sed diuturnam etiam mansisse.

Ubi vero animum advertimus ad hoc amicorum par, videbimus Augustum, quamquam multos honores Agrippae tribuerit, semper primum fuisse et haberi voluisse: Agrippam contra ea, quod quam plurimum Augusto deberet, huic semper primas partes dedisse, sibique secundas modo sumsisse, semperque in ore habuisse cognitum illud: *Concordiâ res parvae crescunt, discordiâ maximae dilabuntur*, quippe quod se eo et fratrem et amicum optimum futurum statueret, uti Seneca (8) testatur.

Quae de hac amicitiâ tradidit Frandsenius, illa leguntur in ipsius libro a paginâ 35-47. Pauca igitur

---

(1) Lib. II. cap. 59.

(2) Vita Aug. cap. 94.

(3) De instit. Aug. cap. 7. *ἦν εἰς τὰ μάλιστα Καίσαρι τῷ νίῳ συνήθης καὶ φίλος Ἀγρίππας ἐν ταὐτῷ τε παιδευθεὶς καί τινα ἔχων ὑπερβολὴν ἑταιρείας.*

(4) Vita Attici cap. 12. *M. Vipsanius Agrippa intimâ familiaritate conjunctus adolescenti Caesari.*

(5) De bell. civ. Lib. V. cap. 31. *φίλτατος Καίσαρι.*

(6) In Ant. cap. 87. *τὴν πρώτην παρὰ Καίσαρι τιμὴν Ἀγρίππου (ἔχοντος).*

(7) Lib. LIII. cap. 1. *τὸν γὰρ Ἀγρίππαν ἐς ὑπερβολὴν ἐτίμα.* Cff. etiam Lib. XLVIII. cap. 20 et 49, Lib. LIII. cap. 23, Lib. LIV. cap. 29 et 31.

(8) Epist. 94. § 46.

inde seligam, ut constet, quid ille vir doctus de hac amicitiâ senserit.

Pag. 37 dicit, Augustum et Agrippam veluti in scenam prodiisse, ut de imperio certarent. — Pag. 41 putat, Augustum Agrippae filiam sororis suae, Marcellam, in matrimonium dedisse, ut illo affinitatis vinculo praeverteret, ne in Agrippâ aliquando periculosissimum adversarium in re publicâ habiturus esset. — Pag. 42 tradit auctor, Augustum gravi morbo laborantem in conventu amicorum annulum suum tanquam signum successionis in imperio Agrippae obtulisse, et Augustum hoc fecisse existimat, *quod Agrippam negligere ausus non esset.* — Pag. 43 refert, Augustum, quod Marcellus invidiâ adversus Agrippam laboraret, in magno periculo amittendi dominatûs versatum esse. — Pag. 47 suspicatur vir doctissimus, Agrippam in animo habuisse Orientem invadere, et inde tanquam alterum Antonium contra Augustum de principatu bellare, ejusque certaminis exitum, ut tunc se res haberent, facile, qualis futurus fuisset, perspici posse affirmat.

Ex his igitur locis, quibus plura alia addi possent, satis superque intelligitur, quid Frandsenius de Agrippae indole ac moribus statuerit, nec mirum est eundem pag. 250 scripsisse, sibi non satis constare, cur Passovius adeo laudaverit Agrippam, quasi hic ex solo patriae amore operam suam Augusto praestitisset, eique dicto audiens fuisset.

Jam vero, quum videamus, Frandsenium sibi persuasisse, Agrippam animo inimico fuisse adversus

Augustum, ratio postulat, ut investigemus, quibus argumentis hanc sententiam declaraverit et stabilire conatus sit.

Pag. 37 dicit: ex loco quodam Dionis Cassii (1) satis manifestum est, Augustum Agrippae gloriam militarem aequo animo non tulisse, atque idcirco invidum animum erga eum gessisse. Deinde statim subjungit: agit Dio de praelio ad littus Siciliae commisso adversus Sextum Pompejum, et refert Agrippam fugientem hostem non ulterius persecutum esse propter vada, quamvis alii contendant, Agrippam satis jam habuisse hostes in fugam conjecisse, quod non sui ipsius, sed Caesaris causâ pugnaret.

Quae Frandsenius hîc ex Dione refert, in eo non leguntur, quatenus nimirum spectant ad Augusti invi-

---

(1) En verba Dionis Lib. XLIX. cap. 4. *Καὶ γὰρ εἰώθει* Agrippa *λέγειν πρὸς τοὺς πάνυ ἑταίρους, ὅτι οἱ πλείους τῶν ἐν ταῖς δυναστείαις ὄντων οὐδένα ἐθέλουσι κρείττω σφῶν εἶναι, ἀλλὰ τὰ μὲν πλείω, ὅσα γε καὶ πρόχειρον τὴν νίκην ἔχει, αὐτοὶ δι' ἑαυτῶν ποιοῦνται, τὰ δὲ δὴ χείρω καὶ ἀτοπώτερα ἄλλοις προςτάττουσι. Κ ἂν ἄρα ποτε τῶν ἀμεινόνων τι ἀναγκασθῶσι σφίσιν ἐπιτρέψαι βαρύνονταί τε καὶ ἄχθονται τῇ εὐδοξίᾳ αὐτῶν. Ἡττᾶσθαι μὲν γὰρ σφᾶς καὶ κακῶς πράττειν οὐκ εὔχονται, οὐ μέντοι καὶ παντελῶς τι καταπράξαντας, τὴν δόξαν αὐτοὺς λαβεῖν αἱροῦνται. Δεῖν οὖν παρῄνει τὸν ἄνδρα τὸν σωθησόμενον, τῆς μὲν δυσχερείας αὐτὸν τῶν πραγμάτων ἀπαλλάττειν, τὴν δὲ δὴ κατόρθωσιν σφῶν ἐκείνοις φυλάσσειν. Ἐγὼ δ' ὅτι μὲν ταῦθ' οὕτω πέφυκε, καὶ ὅτι ὁ Ἀγρίππας ἐπεμελεῖτο αὐτῶν, οἶδα, οὐ μὴν ἔν γε τῷ τότε πάροντι τοῦτ' αἴτιον τῆς οὐ διώξεως αὐτοῦ γράφω· οὐδὲ γὰρ οὐδ' εἰ πάνυ ἐβούλετο, οἷός τε ἦν ἐπισπέσθαι σφίσιν.*

diam. De illâ enim invidiâ ne verbo quidem loquitur Dio. Narrat quidem Agrippam ad familiares suos dicere solitum fuisse, *ὅτι οἱ πλείους τῶν ἐν ταῖς δυναστείαις ὄντων οὐδένα ἐθέλουσι κρείττω σφῶν εἶναι*, *esse hunc morem plerisque principibus, ut nolint quemquam ipsis praestantiorem haberi;* sed scire velim, num inde probari queat, Augustum tali animo etiam reapse praeditum fuisse erga Agrippam? Quod igitur, quum nimium probet, nihil omnino probat.

De persequendis hostibus quod scripsit, de eo duae fuerunt sententiae. Secundum alteram dicitur Agrippa hostes non persecutus esse, quod id non potuerit; secundum alteram, quod id facere noluerit. Quaeritur igitur, utra nisi verior, certe verisimilior sit. Frandsenius amplectitur posteriorem, propterea quod Agrippa dixerit, *plerosque principes nolle, ut quisquam ipsis praestantior sit.* Atque hanc sententiam majorem probabilitatem habere dicit. Verum nonne ipse Dio diserte affirmat, se potius credere, Agrippam hostes non amplius persecutum esse, quod ipsos, licet maxime voluisset, tamen consectari non potuerit? Praeterea nonne etiam affirmat Appianus, Agrippam, propter difficultates, quas superare non potuisset, ab insequendo destitisse? Operae sane pretium est ipsa Appiani verba (1) referre: *καὶ Ἀγρίππας, κωλυόντων αὐτὸν τῶν κυβερνητῶν μεγάλαις ναυσὶν ἐς ὀλίγον ὕδωρ ἐπιπλεῖν, πελάγιος ἐπ' ἀγκυρῶν ἐκάλευεν, ὡς ἐφορμισόμενος τοῖς πολεμίοις καὶ νυκτομαχήσων εἰ*

(1) De bell. civ. Lib. V. c. 106.

δέοι. Τῶν φίλων δ' αὐτῷ παραινούντων, μὴ ἀλόγῳ θυμῷ συμφέρεσθαι, μηδὲ τὸν στρατὸν ἐκτρύχειν ἀγρυπνίᾳ καὶ πόνῳ, μηδὲ πιστεύειν πολυχείμονι θαλάσσῃ μόλις ἑσπέρας ἀνεζεύγνυε. Nonne haec tam diserte expressa satis declarant, qualis Agrippae animus fuerit, eumque minime invidiae adversus Augustum incusari posse, aut hostem persequi neutiquam voluisse? Denique etiam, nonne Agrippa in aliis bellis ostendit, se a partibus Augusti stare, et summâ fide ducis munus sibi ab Augusto mandatum obiisse? Jam igitur quicunque in omni reliquâ vitâ se fidum ducem ostenderit, quo jure is possit, in unâ quadam causâ, eâque valde dubiâ, suspectae fidei accusari, equidem non satis video.

Pag. 40 ita ratiocinatur Frandsenius: *Si illa oratio, quam Dio Agrippae tribuit, re verâ ab ipso habita est, eam habuit, non ut amplissima munera in re publicâ adipisceretur, verum ut libertatis vindicem se simulans, ipse locum Principis occuparet, quam primum Augustus imperium depositurus fuisset.* Jam igitur si concedimus hanc orationem ab Agrippâ habitam fuisse, quemadmodum illam retulit Dio, nullam video causam, cur non item concedamus, veram rationem habitae orationis a Dione allatam esse, Agrippam scilicet omnium quidem civium, sed imprimis tamen Augusti salutis gratiâ ita locutum esse. Quod autem si nobis non probabile videtur, certe sana mens et ratio postulant, ut contrarium idoneis argumentis ostendamus. Verum, quidquid hujus sit, mihi multas ob causas non verisimile videtur, Agrippam isto con-

silio illam orationem habuisse, ut Augustum ad deponendum imperium incitaret, et sic sibi viam ad illud occupandum aperiret. Primum enim tantam perfidiam in animo Agrippae exstitisse, persuadere mihi nequeo. Deinde credo, Augustum non adeo hebetem fuisse, ut istud clandestinum Agrippae consilium non quodammodo animadvertisset. Sed fac Augustum istam calliditatem Agrippae minime suspicatum fuisse, velim scire, quomodo Agrippa istud consilium suum effecturus fuisset. Num forte consentiente Augusto? Hoc prorsus ab omni verosimilitudine abhorret. Nonne enim credendum est, Augustum Agrippae objecturum fuisse, quid? tune mihi suades, ut imperium deponam, ut ipse meum locum occupes? Nonne Augustus porro omni modo ipsi restiturus fuisset, quominus consilii particeps fieret? Num vero forte dissentiente Augusto id, quod sibi proposuisset, susceptūrus fuisset? Hoc item non credibile est, si quidem tunc Augustum sine dubio gravissimum adversarium habuisset. Denique caetera Agrippae facta cum tali consilio non conveniunt. Nonne enim Agrippa tam in urbe, quam in exercitu omnem operam dederat, ut Augusti potestatem corroboraret?

Utrum vero illa oratio reapse habita, an a Dione ficta sit, de eo quidem dissentiunt viri docti, at equidem hac in parte Frandsenio assentior, statuenti, talem orationem de imperio deponendo ab Agrippâ haberi neutiquam potuisse, neque ipsum pristini statûs restituendi patronum fuisse, atque praeterea ob alias causas allatas videri hanc orationem ex ingenio Dio-

nis, non vero ex ore Agrippae prodiisse (1). Equidem insuper suspicor, ab Augusto minime hoc exspectandum fuisse, ut imperium deponere vellet, ad quod sibi acquirendum tantum studii et operae impenderat, praesertim quum animadvertamus, Augustum postea tantummodo simulasse, se imperium depositurum, ut per istam simulationem etiam majorem potentiam adipisceretur.

In eâdem paginâ Frandsenius haesit in iis, quae Dio post orationes adjecit: *καὶ αὐτῷ καὶ ὁ Ἀγρίππας πρὸς πάντα, καίπερ τὴν ἐναντίαν σφίσι γνώμην δοὺς, προ θυμότατα συνήρατο, ὥσπερ ἂν εἰ καὶ ἐξηγητὴς αὐτῶν ἐγεγόνει* (2). Ipse nimirum sibi persuadere non potest, propositi tenacem virum tam cito mutari et aliam personam in civitate agere solere. Agrippa scilicet suasisse fertur Augusto, ut imperium deponeret, Maecenas contra, ut illud retineret. Auditis amborum argumentis, praetulit Augustus consilium Maecenatis magnâ ex parte. Hoc non modo non aegre tulisse narratur Agrippa, sed contra ea affirmatur a Dione, ipsum haud minori studio in omnibus exsequendis nihilo secius Augustum adjuvisse. Hoc mihi minime mirum videtur, ubi ad indolem Agrippae respicio. Etsi enim Augustus repudiaverat ipsius consilium, tamen utpote amicus et consiliarius Augusti arbitrabatur, officii sui rationes id postulare, ut Augusto consiliis suis adesse perseveraret, nec se ob sententiarum

(1) Frandsen, Lib. laud. pag. 13-27.
(2) Dio Cass. Lib. LII. cap. 41.

discrepantiam ipsi quodammodo opponeret. Atque lubens idcirco etiam facio cum doctissimo Reimaro, ad hunc locum dicente: *Egregium hoc in Agrippâ magni et justi, bonoque publico faventis, et boni prudentisque politici specimen, quod nec indignationi in Augustum, quoniam suum consilium ab eo rejectum esset, nec invidiae in Maecenatem aliquid dederit, sed cum salute et majestate Augusti communem promovere omni vi perrexerit utilitatem.*

Pag. 41. Inter honores, quos Augustus Agrippae tribuerit, etiam refertur hoc, quod Augustus filiam sororis suae, Marcellam, in matrimonium Agrippae dederit. Haec his verbis refert Frandsenius: *ad illos Agrippae oblatos honores Dio* (1) *majori etiam jure refert matrimonium cum sororis filiâ Augusti, cum Marcellâ, ut illum virum, qui ipsi in re publicâ periculosissimus adversarius esset, affinitatis vinculo sibi quasi alligaret.* Quae Frandsenii verba ideo attuli, ut obiter admoneam, postrema illa *ut illum virum, qui ipsi in re publicâ periculosissimus adversarius esset, affinitatis vinculo sibi quasi alligaret*, ex merâ conjecturâ Frandsenii profecta esse, nec Dioni attribui debere, apud quem nihil de isto vinculo affinitatis commemoratur.

Pag. 42. Agit Frandsenius de morbo, in quem Augustus A. U. C. 731 incidit, et simul refert ex Dione Cassio (2), Augustum, convocatis praecipuis magistra-

(1) Lib. LIII. cap. 1.
(2) Lib. LIII. cap. 30 et 31.

tibus aliisque civitatis proceribus, Agrippae annulum suum dedisse tanquam signum futurae successionis. Deinde addit, *Augustum* sibi videri *non ausum fuisse praeterire Agrippam*, et idcirco ei annulum suum dedisse. Frandsenium hujus suspicionis suae causam aliquam attulisse vellem. Quod vero quum non fecerit, liceat mihi, quid de istâ suspicione censeam, libere declarare. Equidem sane non video, quomodo quis in summo vitae discrimine versans, et mortem, ante oculos stantem videns, magis metu alterius percelli, quam ex animi sensu agere et voluntatem suam declarare possit. Quid enim mali impendere ab Agrippâ poterat Augusto, si occubuisset? Nihil sane. At dicet fortasse quis: nonne potuit Augustus metuere, si Agrippam negligeret ac forte fortunâ revalesceret, id sibi periculosum fore? Hoc mihi vix credibile videtur, si quidem Augustus illo temporis momento in tali periculo versabatur, ut de sanitate recuperandâ vix aut ne vix quidem cogitare potuisse videatur. Praeterea nondum mihi satis persuasum est, datum annulum pro certo successionis signo magis haberi posse, quam traditum libellum, in quo exercituum et redituum publicorum indicem conscripserat, quemque Pisoni tradiderat, praesertim quod jam antea item suum annulum Agrippae ac Maecenati dederat, ut eo uterentur ad obsignandas literas a se ad senatum missas (1). Quid plura? Videtur mihi Augustus illo tempore per istam annuli traditionem magis suum amorem

(1) Dio Cass. Lib. LI. cap. 3.

erga Agrippam et fidem in eo positam declarare voluisse, quam quidem eum ad successionis spem incitare, quamvis haud pauci et inter hos praecipue Marcellus illud factum Augusti ita interpretati sint.

Sed faciamus adeo Augustum non ex liberâ voluntate, sed metu coactum sic se gessisse, et animum advertamus ad ea, quae mox secuta sunt. Quum nimirum Augustus cognovisset, populum mirari, quî factum esset, ut Augustus nullam *rationem Marcelli habuisset*, sed eum quamvis sororis filium et maritum filiae silentio praeteriisset, idque hunc admodum aegre ferre, quid tunc fecisse narratur Augustus? Primum dicitur testamentum suum in senatu recitare voluisse, ut ex illo manifestum fieret a se nullum successorem constitutum vel electum fuisse. Deinde ut caveret, ne lites et altercationes, imo et capitale odium inter utrosque, Marcellum et Agrippam, exorirentur, hunc in Syriam misit. Nonne ex his luce clarius apparet, Augustum ab omni metu liberum fuisse? Quomodo enim ausus fuisset illum, quem adeo metueret, in Orientem mittere et Româ quasi expellere, praesertim si eum antea jam spe successionis lactasset? Nonne ad tale quid faciendum majori audaciâ opus erat, vivo Augusto? Et quum haec ita gesta sint, nullam satis justam causam adesse video, cur statuamus, Augustum non ausum fuisse alium Agrippae in imperio praeferre, si vel maxime in supra commemorato conventu suorum re verâ futurum successorem suum designare voluerit.

At potest mihi, nec sine ratione, objici, Agrippam

ab Augusto minime missum fuisse in Syriam, sed sponte urbem reliquisse, et propterea non satis certo affirmari posse, Augustum minime metuisse Agrippam. Scio sane hoc tradi a Vellejo Paterculo (1) et Suetonio (2). Atque statuamus adeo horum scriptorum sententiam aliorum dictis praeferendam esse, tum magis etiam apparet, Agrippam animo non inimico aut infesto adversus Augustum fuisse, sed, quae ab hoc acta sint, moderate tulisse. Jam autem, si haec animi moderatio re verâ Agrippae propria fuit, nullam causam fuisse arbitror, cur Augustus tam moderatum virum tam vehementer metuisset.

Sed Frandsenius ita pergit pag. 43: Ab illo inde tempore Marcellus Agrippam clam odio habuit, et ob illud odium socero suo haud exiguam sollicitudinem peperit, quin etiam in periculum adduxit amittendi dominatûs. Quod ad prius attinet, facile assentiri possum Frandsenio: sed Augustum per istud odium adeo in angustias redactum fuisse, ut periculum esset, ne solus tot et tanta negotia amplius sustineret, unde id deducendum esse judicaverit Frandsenius, de eo certam mentionem apud ipsum non factam video. Quaeritur igitur, quemnam istius periculi futurum auctorem Frandsenius putaverit, Marcellumne an Agrippam, an adeo ipsum populum? Videamus de singulis. Licet Agrippa a populo ob merita sua in rem publicam et collata in plebem beneficia magno-

(1) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 93.
(2) Sueton. Vit. Oct. cap. 66. Vit. Tib. cap. 10.

pere diligebatur, tamen minime existimandum est, populum temere se istiusmodi liti de successione, in detrimentum Augusti, immiscere unquam voluisse. Tum, quod ad Marcellum attinet, hic adhuc nimis juvenis fuisse, et nondum illam in re publicâ auctoritatem habuisse videtur, ut ullo modo, quamvis a socero postpositus Agrippae fuisset, cum illo de principatûs partitione contendisset. Ubinam enim tam temerarii facti adjutorem inventurus fuisset? Apud exercitum? Non credo. Primum enim non video, quâ spe fretus exspectare potuisset, se milites ad labefactandam et imminuendam Augusti potestatem et auctoritatem paratos habiturum esse. Deinde, si vel maxime tale quid tentare ausus fuisset, sine dubio Agrippa statim ista conamina prorsus irrita facturus fuisset, praesertim si de imperio occupando ipse serio cogitasset. Restat igitur Agrippa, quem solum in animo habuisse Frandsenius videtur. Sed a me nondum impetrare possum, ut in eo assentiar viro docto. Sive enim Agrippa sponte Romam reliquerit, sive jussu Augusti in Syriam abierit, ex iis, quae post illud tempus egit, nullo modo suspicari possumus, eum tam perfidum fuisse, ut clam novas res contra Augustum aut Marcellum moliri voluerit. Nonne Vellejus Paterculus Agrippam dicit quidem aliis imperandi cupidum fuisse, attamen uni Augusto semper paruisse (1)? Idem affirmat etiam Dio Cassius his verbis: *Ὅσον τε γὰρ τοὺς ἄλλους ἀρετῇ κατεκράτει, τοσοῦτον ἐκείνου ἐθελον-*

(1) Vell. Pat. Lib. II. cap. 79.

τῆς ἡττᾶτο· καὶ πᾶσαν αὐτῷ τὴν ἑαυτοῦ καὶ σοφίαν καὶ ἀνδρείαν ἐς τὰ λυσιτελέστατα παρέχων, πᾶσαν τὴν παρ' ἐκείνου καὶ τιμὴν καὶ δύναμιν ἐς τὸ τοὺς ἄλλους εὐεργετεῖν ἀνήλισκεν. Ἀφ' οὗ δὴ καὶ τὰ μάλιστα οὔτ' αὐτῷ ποτε τῷ Αὐγούστῳ ἐπαχθὴς, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἐπίφθονος ἐγένετο· ἀλλ' ἐκείνῳ τε τὴν μοναρχίαν, ὡς καὶ δυναστείας ὄντως ἐπιθυμητῇ συνέστησε, καὶ τὸν δῆμον εὐεργεσίαις, ὡς καὶ δημοτικώτατος, προσεποιήσατο (1).

Eâdem paginâ 43 legimus: *jam per se admodum verisimile est, Augustum in hac causâ* (h. e. imperii successione) *Agrippam genero postpositurum fuisse, atque Suetonius hanc suspicionem quodammodo confirmat.* Itaque audiamus Suetonium, de amicis Augusti ita loquentem (2): *Reliqui potentiâ atque opibus ad finem vitae sui quisque ordinis principes floruerunt, quamquam et offensis intervenientibus. Desideravit enim nonnunquam, ne de pluribus referam, et M. Agrippae patientiam, et Maecenatis taciturnitatem, cum ille ex levi rigoris* (ut Lipsius conjecit *frigoris*) *suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se, relictis omnibus, contulisset: hic, secretum de compertâ Murenae conjuratione uxori Terentiae prodidisset.* Deinde statim post haec citata verba Suetonii subjungit Frandsenius: *hoc loco praecipue animadvertendum est, praeter contentionem de Marcello, etiam aliam insuper causam Agrippam ade-*

(1) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 29.
(2) Vita Octav. cap. 66.

gisse ad Romam relinquendam. Est sane ita: hunc sensum praebent verba Suetonii. Quamquam aliter hunc locum acceperunt docti interpretes Suetonii, Muretus et Oudendorpius, quorum alter annotavit: *Hoc igitur dicit Suetonius, Agrippam, qui semper apud Augustum primus fuerat, cum levi suspicione tactus esset Marcellum sibi anteferri, ejus rei impatientiâ Mitylenas se contulisse:* alter ita exposuit: *Non satis patiens erat Agrippa, quod ob simultatem exercitam cum Marcello, cui magis favebat Augustus, — forsan minus, quam antea familiarem et severiore vultu se intuitum suspicaretur.* Ad hos accedit etiam Gebauerus, cujus haec sunt verba (1): *Suetonius equidem in Augusto, Agrippam minus patientem ex levi frigoris suspicione, quod praelatus sibi Marcellus fuerit, Mitylenas se contulisse memorat.* Hi igitur viri docti ita locum interpretati sunt, ac si Suetonius scripsisset, *cum ille ex levi frigoris suspicione, quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se contulisset.* Sed quoniam apud Suetonium in omnibus editionibus legitur *et quod Marcellus,* grammatica interpretandi ratio postulat, ut statuamus: Augustum desiderasse Agrippae patientiam, non tantum propterea, quod Agrippa aegre tulisset, Marcellum sibi antelatum esse, sed etiam aliam ob causam ex levi frigoris suspicione ortam. Quum autem nullus alius scriptor de istiusmodi suspicione nobiscum aliquid communicaverit, et imprimis Dio Cassius, qui hanc

(1) Lib. laud. pag. 831.

historiae partem fusius exposuit, illam item silentio praeterierit et solummodo de eo locutus sit, quod Agrippae displicuerit se Marcello postpositum fuisse ab Augusto; aut major fides reliquis scriptoribus omnino habenda videtur, aut, omissâ particulâ *et* simpliciter legendum, *quum ex levi frigoris suspicione, quod Marcellus sibi anteferretur.* Atque ut ita a Suetonio scriptum putemus, ipse Suetonius quodammodo monstrat, qui alio loco (1) dicit, Agrippam Mitylenas nullam aliam ob causam abiisse, nisi quod M. Marcellus ad munera publica admotus fuisset.

Verum quomodocunque hoc se habeat, nihilo secius tamen operae pretium esse puto de hoc loco Suetonii quaedam addere.

Primum quaerendum est, quid nomine *patientiae* Suetonius voluerit, utrum perseverantiam in *agendo*, an vero in *obediendo* positam significaverit. Mihi videtur Suetonius non de priore patientiae genere, sed de posteriore cogitasse, si quidem Agrippa nunquam et nusquam ostenderit, se laborem sibi mandatum et impositum ferre, aut non posse, aut non velle. Jam autem, quod ad obediendi perseverantiam spectat, illam in Agrippâ alii scriptores non desiderant, verum laudant. Testes cito e Latinis Plinium et Aurelium Victorem. Ille inter incommoda, quibus subjectus fuerit Agrippa, etiam commemorat *soceri praegrave servitium* (2), quibus verbis hunc scriptorem signifi-

(1) Vita Tib. cap. 10.
(2) Hist. Nat. Lib. VII. cap. 8.

care voluisse arbitror, Agrippam onera ab Augusto sibi imposita servi instar magnâ cum patientiâ pertulisse. Hic vero diserte praedicat Agrippae *patientiam laboris modestiamque* (1). Videtur igitur Suetonius dissentire ab his duobus scriptoribus: attamen, si rem accuratius consideramus, ab illis non dissentit, si quidem in solâ hac causâ tantummodo, quod Marcellum sibi antepositum putaverit, patientiam Agrippae desideraverit, non vero in reliquis rebus. Atque idcirco verissime, secundum meam quidem sententiam, Arntzenium contra Beroaldum (2) et Vinetum (3) scripsisse credo: *Haec minime pugnant, uno tantum in casu desideravit patientiam ceteroquin Agrippae propriam* (4). Idemque de taciturnitate Maecenatis statuunt Meibomius (5) et Arntzenius (6).

Pag. 44 dicit Frandsenius: Plinius inter calamitates divi Augusti memorat *pudendam Agrippae ablegationem* (7), et quaerit, utrum ista ablegatio Agrippae tantummodo *pudorem*, an vero simul etiam *periculum* attulerit? Frandsenio ad haec responderi posse puto,

---

(1) Epit. de Caess. cap. 1. § 16.
(2) Annot. ad Suetonii cap. 66 vitae Octav.
(3) Annot. ad Aur. Vict. l. l.
(4) Arntz. ad Aur. Vict. l. l.
(5) Meibomius in vitâ Maecenatis, pag. 45. *Contradicere tamen de taciturnitate videtur Suetonius — Videtur contradicere, inquam, nec enim re verâ id facit. Quum unius hujus facti exemptio, celebrem alioquin viri virtutem fuisse, manifesto indicet.*
(6) Ad l. l. Aur. Vict.
(7) Hist. Nat. Lib. VII. cap. 45.

si Augusto ob istam ablegationem periculum quoddam imminuisset, admodum verosimile esse, ejus periculi disertam mentionem a Plinio factam fuisse. Nonne enim, ratione Augusti habitâ, major calamitas in *periculo*, quam quidem in *pudore* posita fuisset?

Pag. 46 et 47 narrat Frandsenius, Agrippam, mortuo Marcello, Romam revocatum fuisse, quod ibi tumultus quidam exortus esset, et Augustus neminem magis idoneum ad illum tumultum sedandum judicaret, quam Agrippam. Hinc arcessivit Augustus Agrippam ex Syriâ, et reverso persuasit, ut Marcellam dimitteret, Juliamque uxorem duceret. Quod quomodo peractum sit, de eo dissentiunt veteres scriptores (1). Operae tamen pretium est de eo, quod Maecenas ad Augustum dixisse narratur apud Dionem, *τηλικοῦτον αὐτὸν πεποίηκας, ὥστε ἢ γαμβρόν σου γε-*

(1) Sueton. Vit. Oct. cap. 63. (Augustus) *Juliam primum Marcello, Octaviae sororis suae filio, tantum quod puritiam egresso: deinde ut is obiit, M. Agrippae nuptum dedit: exoratâ sorore, ut sibi genero cederet.* Plut. vit. Antonii cap. 87. *Ἐπεὶ δὲ Μάρκελλος ἐτελεύτησε κομιδῇ νεόγαμος, καὶ Καίσαρι γαμβρὸν ἔχοντα πίστιν οὐκ εὔπορον ἦν ἐκ τῶν ἄλλων φίλων ἑλέσθαι, λόγον ἡ Ὀκταβία προσήνεγκεν, ὡς χρὴ τὴν Καίσαρος θυγατέρα λαβεῖν Ἀγρίππαν, ἀφέντα τὴν ἑαυτῆς. Πεισθέντος δὲ Καίσαρος πρῶτον, εἶτ' Ἀγρίππου, τὴν μὲν αὐτῆς ἀπολαβοῦσα συνῴκισεν Ἀντωνίῳ τὴν δὲ Καίσαρος Ἀγρίππας ἔγημεν.* Dio Cassius Lib. LIV. cap. 6. *βουληθεὶς δὲ καὶ ἀξίωμα αὐτῷ μεῖζον περιθεῖναι, ἵνα καὶ ἐκ τούτου ῥᾷον αὐτῶν ἄρχῃ, μετεπέμψατο αὐτὸν, καὶ καταναγκάσας τὴν γυναῖκα, καίπερ ἀδελφιδῆν αὐτοῦ οὖσαν, ἀπαλλαξαντα, τῇ Ἰουλίᾳ συνοικῆσαι, ἐς τὴν Ῥώμην παραχρῆμα καὶ ἐπὶ τῷ γάμῳ καὶ ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως διαχειρίσει ἔπεμψε.*

γέσθαι, ἢ φονευθῆναι, nonnulla referre. Quum nimirum Augustus intelligeret, Agrippam, si connubio conjunctus esset cum Juliâ, majorem etiam potentiam in re publicâ habiturum esse, atque de eo consuluisset Maecenatem, hic respondisse fertur illa, quae modo retuli.

Quaeritur igitur, utrum Maecenas his verbis Augusto suadere re verâ voluerit, ut Agrippam aut generum sibi sumeret, aut, si id facere nollet, eum interficeret.

Audiamus primo loco sententias virorum doctorum de hac re. Muretus ita loquitur: *Evectus igitur* (Agrippa) *ad illam potentiam* (ad tertium consulatum) *cum et populo unice carus esset, et apud milites auctoritate polleret, ut qui in castris simili atque Augustus tabernaculo uteretur, aeque atque Augustus militibus signum daret: jam ipsi, qui eum extulerat, Augusto formidolosus videri poterat: jam optandum erat, ut Agrippa secundo loco contentus foret. Putant autem, hoc observandum esse iis, quorum potentia non satis adhuc altas radices egit, ut fortes viros, et a quibus imminere potest aliquid periculi, aut e medio tollant, ne quid novarum rerum moliri possint, aut ita sibi devinciant, ne velint. Alterum honestius et humanius est, alterum tutius creditur. Itaque Maecenas, qui, ut dixi, in intimis Augusti erat, ausus est ei dicere, eo rem esse perductam, ut Agrippa aut interficiendus, aut gener faciendus esset* (1). Gebauerus ob illud dictum graviter invehitur

(1) Tomus IV. pag. 25.

in Maecenatem, dicens: *iniqua plane sententia, et in amicum injuria, de cujus immeritâ nece vel cogitasse abominandum est* (1). Blondeus hanc historiam in dubium vocat, ejusque dubitationis hanc affert causam: *facillimum fuisset Augusto Agrippam occidere, si voluisset*, et insuper putat Plinium, quo loco de Augusti calamitatibus agit, hanc rem, si re verâ ita se habuisset, procul dubio fuisse commemoraturum (2). Frandsenius putat, ex verbis Maecenatis luce clarius apparere, Augusto ab Agrippâ ejusmodi periculum imminuisse, quod nullâ aliâ ratione, quam matrimonio Agrippae cum Juliâ, a se depellere potuerit (3).

His relatis, quid ego sentiam, aperte paucis verbis referam. Si haec Maecenatis sententia fuisset, inhumanitatis et crudelitatis omnino accusandus foret, atque verissima esset Gebaueri sententia modo commemorata. Sed ejusmodi quid Maecenatem in animo habuisse, equidem neutiquam mihi persuadere possum. Credo eum tantummodo indicare voluisse, Augustum tot honores jam in Agrippam contulisse, ut vix aliud quid agere honeste posset, quam eum sibi eligere generum, et illa ultima verba addidisse, ut extremam augendi Agrippae necessitatem ostenderet, minime interficiendum suaderet. Nonne enim Maecenas, etiamsi naturâ tam inhumanus fuisset, ut sua-

(1) Lib. laud. pag. 835.
(2) Lib. laud. pag. 59 in ann.
(3) Lib. laud. pag. 47.

dere potuisset Augusto perpetrare injustam caedem, tamen nihilo secius summae imprudentiae accusandus esset, quod ejusmodi consilium dedisset, unde, si illud rejiceretur, in maximum periculum se ipse conjecturus fuisset? Jocose magis dictum: vel interfice, vel fac generum. Tertium non est. Illud, scio, non facies. Ergo facies generum.

His expositis, videamus nunc, quomodo se erga Agrippam gesserit Augustus, et Agrippa vicissim erga Augustum, si quidem, ut opinor, nullâ ratione melius perspici poterit, quid de horum duumvirorum amicitiâ statuendum sit, utrum scilicet illa sincera, an vero ficta fuerit.

Quoniam supra (1) jam nonnulla diximus de initio amicitiae inter hos duumviros, nunc accedamus ad illud tempus, quo Augustus rem publicam capessere coeperit.

Videmus Agrippam jam anno U. C. 714 Praetorem fuisse, quum vix vicesimum tertium aetatis annum attigisset, nec tamen alioquin ad illud munus haud facile quis ante aetatis annum quadragesimum pervenire solitus esset. Quis igitur eum ad hunc honorem produxisse censendus est? Mihi sane Augustus praecipuus auctor hujus honoris in Agrippam collati fuisse videtur. Quod si praeterea animadvertimus ad splendorem in edendis Apollinaribus ludis manifestatum,

(1) Pag. 4 et 5.

facile assentimur Frandsenio (1), Augustum illum fuisse, qui Praetori Agrippae necessarios sumtus suppeditaverit.

Tum A. U. C. 717, ideoque item ante legitimum tempus, Consul factus est, et mox non modo ab Augusto dux electus classis, contra Sextum Pompejum pugnaturus; verum etiam post feliciter commissum navale praelium ab eodem donatus est coronâ aureâ, sive navali, sive rostratâ, sive quocunque alio nomine (2) appellanda sit.

Deinde post gloriosam victoriam apud Actium de Antonio reportatam accepit Agrippa, cujus summa virtus in illo proelio adeo eluxerat, ut ipse re verâ victor Antonii haberi debeat, honoris causâ ab Augusto, vexillum caeruleum (3). Tot ac tanta victoriarum praemia animum Augusti testantur sincerum, quia Principes, qualis iam erat Augustus, nihil magis timent, quam militarem privatorum gloriam. Caeteras laudes posse dissimulari, ducis boni imperatoriam esse gloriam. Animus Augusti hîc magis elucet, si cum sequentibus Caesaribus comparetur. Tacitus hoc vitium in iis saepe reprehendit.

Porro idem Agrippa cum Augusto censuram egit et

---

(1) Lib. laud. pag. 59.

(2) Vell. Pat. Lib. II. cap. 81. Livius ep. 129. Seneca de benef. Lib. III. cap. 32. Plin. Hist. Nat. Lib. XVI. cap. 4. Virg. Aen. Lib. VIII. vs. 684. Ovid. ars amat. Lib. III. vs. 392. Dio Cass. Lib. XLIX. cap. 14.

(3) Dio Cass. Lib. LI. cap. 21.

bis Consul fuit (1). Jam autem quanti eum aestimaverit Augustus, imprimis etiam apparet, quod in altero illo consulatu ei Marcellam uxorem dederit, et, quod, ipse morbo impeditus, quominus ludis in memoriam victoriae Actiacae institutis praeësset, Agrippae concesserit, ut illos solus ageret (2). Quin etiam videmus Agrippam ab Augusto praefectum Italiae nominatum fuisse, quo tempore ipse Augustus in Aegypto ad res ordinandas commoraretur.

Tandem etiam Augustus, incensis Agrippae aedibus, ipsum in palatium suum recepit, et hunc ei honorem habuit, ut nuptiis Juliae cum Marcello celebrandis praeësset (3).

Quae omnia, quibus multa alia facile addi possent, si nobiscum nullâ praejudicatâ opinione impediti reputamus, omnino necesse est ut fateamur, Augustum nihil omnino mali a parte Agrippae sibi impendere suspicatum esse. Nam si re verâ hoc aliquando, ut nonnulli putant, locum habuisset, Augustus id libere et sine ullo metu post mortem Agrippae cum aliis amicis communicare potuisset. Sed quid fecit Augustus? Non modo saepius ostendit se grato animo merita Agrippae agnoscere, quippe qui filiis ejus perpetuo benefaceret, eosque amore singulari amplectere-

---

(1) Vell. Pat. Lib. II. cap. 90. *amicitia Principis cum ad tertium consulatum evexerat.* Tacitus, Ann. Lib. I. cap. 3. *Augustus M. Agrippam geminatis consulatibus extulit.*

(2) Dio Cass. Lib. LIII. cap. 1.

(3) Dio Cass. Lib. LIII. cap. 27.

tur; verum etiam, quum adversâ fortunâ laboraret, aperte profiteretur, *horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Maecenas vixisset* (1).

Neque etiam video, quomodo in Augusti animo ulla dubitatio de fide Agrippae exoriri potuerit.

Primum enim videmus, Agrippam in extollendo Augusto semper se conspicuum reddidisse, ipsius honori multa opera dedicasse, et plura fortasse etiam in animo habuisse dedicanda.

Deinde scire velim, quomodo is, qui triumphos denegaverit, ut ne sui major quam Augusti ratio in re publicâ a nonnullis haberetur, vere in suspicionem obtinendae simul cum Augusto dominationis venire potuerit.

Denique, si vel maxime statuamus istiusmodi quid Agrippam aliquo tempore cogitasse, profecto non ille erat, qui istud consilium non statim suscepisset. Vellejus Paterculus, cujus praecipua laus in eo cernitur, ut ingenia virorum potentium ita describat, qualia vere fuerunt, indolem Agrippae ita depinxit: *M. Agrippa, virtutis nobilissimae, labore, vigiliâ, periculo invictus, parendique sed uni scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, et per omnia extra dilationes positus consultisque facta conjungens* (2). Talis ingenii vir, si Augustum dejicere voluisset, non esset cunctatus. Tempora non semel favebant, et

(1) Seneca de benef. Lib. VI. cap. 32.
(2) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 79.

Augustus multos habebat inimicos, qui antiquam rei publicae formam restitui optarent. Hinc igitur non sine summâ verisimilitudine conjici posse arbitror, Agrippam nunquam tam inimico adversus Augustum animo fuisse, ut ipsius dominationem imminuere, et se ipsi parem reddere voluisset.

Ergo quum vidimus, neque Augustum aliquid mali de Agrippâ suspicatum fuisse, neque Agrippam istiusmodi suspicioni ansam ullam praebuisse, atque etiam nusquam invenimus Agrippam apud Fulviam, Antonium, Liviam aliosve in suspicionem venisse istiusmodi clandestini propositi, sed contra ea ab omnibus scriptoribus declaratur, Agrippam se supra Augustum nunquam extollere voluisse, ambosque a juvenili inde tempore per omnem reliquam vitam amicos mansisse, credere non dubitamus, amicitiam inter Augustum et Agrippam ex mutuo animorum consensu constitisse veramque et perpetuam fuisse. Quo circa huic loco finem imponimus verbis Valerii Maximi: *Prodite igitur ab illâ, quae sanctorum umbris dicata esse creditur, sede, hinc Decime Laeli, illinc M. Agrippa, alter virorum, alter Deorum maximum amicum, et certâ mente, et secundis ominibus sortiti: totumque beatae turbae gregem, qui vestro ductu veneranda sincerae fidei stipendia, laudibus et praemiis onustus, peregit, in lucem vobiscum protrahite. Vestros enim constantes animos, vestra strenua ministeria, vestram inexpugnabilem taciturnitatem, proque dignitate et salute amicorum perpetuam excubationem, testatiorem*

benevolentiam, et rursus harum rerum uberrimos fructus posterior intuens aetas, in excolendo jure amicitiae, quam libentius, tam etiam religiosius erit operata (1).

(1) Val. Max. Lib. IV. cap. 7. § 7.

CAPUT SECUNDUM.

Cum in omni historiâ saepe cognitu difficile est quid verum sit, tum in vetere inprimis. Testimonia scriptorum, de rebus atque hominibus, non semel eâ laborant obscuritate, quae magnam interpretandi difficultatem parere solet. Hinc variae nascuntur opiniones, ut interdum nescias, quam secuturus sis. Hoc accidit in Horatio et Plinio, in quorum scriptis nonnulla de Agrippâ leguntur, de quibus paullo diligentius quaerere operae pretium censui.

Primo loco videamus, quo animo Horatius erga Agrippam fuerit, et quid de eo universe statuerit. Priusquam vero ad illa accedamus loca, in quibus Ho-

ratius Agrippam diserte nominavit, dicemus de illis Horatii verbis (1): *Malthinus tunicis demissis ambulat.* Quis iste Malthinus fuerit, aut quem sub ficto isto nomine traducere voluerit Horatius, de eo viri docti in diversas sententias abeunt. Nonnulli putant Maecenatem significari, quoniam alii scriptores veteres similia de hoc viro enarrarunt. Sed mihi non verisimile videtur, Horatium ludibrio aliorum exponere voluisse praesidium et dulce decus suum. Alii credunt haec in Agrippam esse dicta. Quum vero, quantum sciam, nemo veterum nobis Agrippam tanquam mollem et delicatum hominem depinxerit, neque istiusmodi quid, quale hîc ab Horatio narratur, in virum militarem vulgo cadat, merito hanc conjecturam improbarunt Weichertus (2) et Frandsenius (3).

Diserte autem Agrippae meminit his verbis (4):

Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu;
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?

Quae igitur est hujus loci sententia? Tantum esse discrimen inter Agrippam, verum populi amicum, et plausus populi tantummodo captantem hominem, quantum sit inter astutam vulpem, qui leonem imitari studeat, et verum leonem.

---

(1) Lib. I. sat. 2. vs. 25.
(2) In poët. Lat. reliq. pag. 456.
(3) Lib. laud. pag. 181.
(4) Lib. II. sat. 3. vs. 185.

Deinde alio loco (1) dicit:

Quum bene notum
Porticus Agrippae, et via te conspexerit Appi;
Ire tamen restat, Numa quo devenit, et Ancus.

Hoc dicto inter pretiosissima et magnificentissima opera refert Agrippae porticum et viam Appiam.

Denique tertio loco in Epistolâ ad Iccium fit mentio Agrippae tanquam Cantabrorum victoris (2).

Quamvis igitur Horatius in Satiris et Epistolis suis raro tantum mentionem fecerit Agrippae, tamen haec tria loca satis indicant, eum nusquam debitum honorem Agrippae non habuisse, praesertim quum animum advertamus ad difficultates, quae, teste Horatio, in subigendis Cantabris positae fuerint (3).

Huc tandem accedit Carmen singulare Horatii ad Agrippam (4).

De hoc igitur Carmine ingens est virorum doctorum discrepantia, tam quod ad causam, cur scriptum sit, attinet, quam quae illius praestantia haberi debeat.

---

(1) Lib. I. epist. 6. vs. 26. sqq.
(2) Lib. I. epist. 12. vs. 26.
(3) Lib. II. carm. 6. vs. 2.

Cantabrum indoctum juga ferre nostra.

Lib. III. carm. 8. vs. 21.

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber, serâ domitus catenâ.

Lib. IV. carm. 14. vs. 41.

Te Cantaber non ante domabilis.

(4) Lib. I. carm. 6.

Quod ad causam, de eâ haec leguntur apud Janum (1): *objecisse poëtae probabile est, quod sui mentio nulla dum esset in ipsius carminibus. Inde ducta hujus carminis occasio, quo se excusat Agrippae, suamque venam ait non sufficere dicendo tam sublimi argumento, sed tantum amori levibusque et exiguis rebus canendis. Hoc dum exprimit, quasi aliud agens splendidissimum Agrippae ipsique Augusto carmen dicit: nam dum grandem spiritum sibi esse negat, eum vel maxime prodit, et Agrippam exquisitissime laudat, dum id se non posse profitetur.* Cum hac Jani sententiâ consentit Vicetius, ajens (2): *Agrippa Horatio exprobraverat, quod nulla sui in ipsius carminibus facta esset mentio. Hîc Horatius se excusat Agrippae, et dum negat tam sublimi argumento venam suam sufficere, Agrippam et ipsum Augustum splendidissime laudat.*

Apud reliquos scriptores nihil de hoc argumento inveni. Neque hi nominatim citati interpretes mihi videntur recte de Agrippâ judicasse. Nullam enim idoneam rationem adesse video, cur statuamus illum, qui triumphos agere spreverit, tanti aestimasse laudem poëtae, ut hunc ad se laudandum excitare precibus voluerit. Nonne praeterea merito objici potuisset Agrippae, quod avide laudes poëtarum cuperet, ut hac in parte Augusto aequipararetur, quem quavis occasione poëtae laudare solebant? Itaque Hora-

(1) Edit. Horatii, pag. 54.
(2) Edit. Horatii, pag. 42.

tium, ex liberâ voluntate potius, quam rogatu Agrippae, animum ad hoc Carmen conscribendum appulisse arbitror. Quin etiam, ut ita credam, me non tantum Carminis brevitas, verum item ipsius argumentum quodammodo cogit. Nam si non nisi invitatus hoc Carmen scripsisset, admodum mihi credibile videretur, illum plura de eo scripturum fuisse, quemadmodum vidimus fecisse in Epistolâ ad Augustum scriptâ.

Praeterea quod ad praestantiam Carminis spectat, video plerosque Horatii interpretes (1) aliosque viros doctos (2) illud tanquam egregium laudasse. Cur autem hanc laudem meruerit, non satis intelligo. Quid enim continet? Primum satis consuetam excusationem imbecillitatis ingenii sui. Quam excusationem similem puto vulgari poëtarum consuetudini, quando Musas in auxilium vocare solent. Deinde leviter tantummodo indicat, Agrippam bonum militem et ducem simul fuisse, atque tandem declarat, se non magis Agrippae, quam Augusti facta virium suarum defectu potius obscurare, quam illustrare velle.

Audiamus, his dictis, Frandsenium: *In unâ Ode Horatii significatur bellica Agrippae gloria. Primum quum in hoc libro conscribendo occupatus eram, mirum mihi videbatur, Horatium tam exiguam Agrip-*

(1) Dacierium, Janum, Vicetium.

(2) Blondeum, Lib. laud. pag. 33; Weichertum, Lib. laud. pag. 34. ann. 7.

pae mentionem fecisse, inque illo uno Carmine pauca tantum de Agrippâ dixisse, et tam cito ad alia transgressum esse. Itaque arbitrabar initio, causam illius rei quaerendam esse in eo, quod Agrippa non adeo poëtis favisset, atque ille multis laudibus velut in coelum sublatus Maecenas. Verum postea, quum incidissem in Introductionem Wielandii in Epistolam Horatii ad Augustum, atque vidissem, hunc virum doctum credidisse, Agrippae laudes ab Horatio propterea non esse magnopere decantatas, quod hic arbitratus esset, inhonestum esse, laudare oppressorem libertatis Romanae, contra quem ipse aliquando pugnasset, cujusque manus sanguine Bruti, Cassii et aliorum Romanorum maculatae essent, Horatiumque idcirco potius levitatis quam morositatis incusari voluisse (1).

Verum, ut, quod sentiam, aperte dicam, istam opinionem Wielandii, quam amplectitur Frandsenius, pro verâ habere neutiquam possum. Quodsi enim propterea Agrippam laudare noluisset, quod hic adversarius Bruti et Cassii fuisset, poëta etiam laudes Augusti alio silentio praeterire debuisset. Praeterea nullam omnino video causam, cur Horatius exponendis laudibus Agrippae levis, quam illis reticendis morosus haberi voluisset.

Quid plura? Credo Horatium ad hanc Oden conscribendam solo humanitatis sensu impulsum fuisse,

(1) Lib. laud. pag. 33.

ut ne tam clarum in re publicâ virum illaudatum praeteriisse dici posset.

Finitâ disquisitione de Horatii judicio, restat, ut videamus, quali animo Plinius Major erga Agrippam affectus fuisse Gebauero visus sit.

Primum tradit Gebauerus (1) Livium (2), Vellejum Paterculum (3), Senecam Philosophum (4) et Dionem Cassium (5) dixisse, nulli unquam alii, nisi Agrippae datam fuisse coronam navalem, sed Plinium (6) prae se ferre, eundem honorem etiam antea contigisse M. Varroni. Deinde addit, Plinium hac in re aut imprudenter esse lapsum, aut malâ fide duo illa rei mari bene gestae praemia confudisse. Plinium hac in re errare potuisse, concedo; sed, cur eum malae fidei propterea merito accusare potuerit Gebauerus, id non satis intelligo, nisi forte in illam opinionem inciderit, quod putasse videtur, Plinium in Agrippae rebus recensendis fere semper obtrectatorem egisse. Ut vero hoc ostenderet primum citat verba Plinii, ubi Augustus dicitur post bella Sicula coronam rostratam tribuisse Agrippae, et imprimis stomachatur, quod Plinius dicere ausus sit, *quae et ipsa*

(1) Lib. laud. pag. 818.
(2) Epit. CXXIX.
(3) Lib. II. cap. 81.
(4) De Beneficiis. Lib. III. cap. 32.
(5) Lib. XLIX. cap. 14.
(6) Lib. VII. cap. 30 et Lib. XVI. cap. 4.

piratica fuere (1). His enim citatis, ita pergit: *Quis piraticum bellum dixerit, quod dux Romanus, Magni filius, meliori rei publicae parte, quae eo, tanquam in tutissimum portum, e proscriptionis tempestate evaserat, legionibusque Romanis validissimis stipatus, strenue sed infeliciter gessit?* Ad hanc Gebaueri accusationem responderi posse arbitror, neque Sextum Pompejum ducem piratarum, neque milites ejus re verâ quidem piratas fuisse, sed piratarum instar fere egisse. Nonne enim ipse Pompejus, nonne reliqui ejus duces saepius in Italiam cum militibus suis invasiones fecerunt et agros depopulati sunt, atque ad adventum hostium statim se in fugam conjecerunt, justamque pugnam omni modo evitarunt? Praeterea, quoniam Plinius censendus est in aliquo scriptore nunc deperdito legisse, Varronem coronâ navali ob virtutem in bello piratico manifestatam a Pompejo Magno donatum fuisse, et item legerat, similem honorem postea Agrippae ab Augusto habitum fuisse, facile ob causas modo memoratas eo induci potuit, ut bellum Siculum item nomine piratici insigniret. Denique hoc nihil ad gloriam Agrippae militarem imminuendam valet, sive hostes, contra quos pugnaret, nominentur piratae, sive alio nomine indicentur. Cicero certe de patre Pompejo, contra piratas pugnante, non ita statuit, nec quaesivit, contra quos ille sua arma converterit, sed quam cito istos

(1) Lib. XVI. cap. 4.

hostes debellaverit (1). Tandem quoque facile excusabimus Plinium bellum Siculum vocantem *pirraticum*, quum recordemur verborum Antonii apud Dionem Cassium (2), ubi legimus de Augusto et Agrippâ *οὔτε γὰρ πρὸς τὸν Σέξτον, ἀλλὰ πρὸς τοὺς δούλους αὐτοῦ, οὔτε πρὸς ὁμοίους ἡμῖν ἀντιπαρατεταγμένῳ, ἀλλὰ πρὸς πολὺ διάφορον ἡγωνίσαντο.*

Alterum argumentum, quo Gebauerus inimicum Plinii animum adversus Agrippam demonstrari posse arbitratur, desumsit ex verbis Plinii, *dedit hanc Augustus coronam Agrippae: sed civicam a genere humano accepit ipse* (3). Haec verba tam absurda visa sunt Gebauero, ut scriberet, Plinium Agrippae famam imminuisse tanquam inconcinnum obtrectatorem, et Augusti laudes ut intempestivum adulatorem nimis evexisse. Sed vereor, ut hoc crimen probare queat. Plinius enim refert, quae re verâ acta sunt, sed minus eleganter refert. Augustus dedit Agrippae splendidum honoris insigne, et ipse a senatu alia accepit aeque splendida, aut fortasse etiam splendidiora, coronam civicam et obsidionalem (4). Jam autem, quum hac in parte Plinius consentiat cum aliis scriptoribus, ipsum ob modo citata verba obtrectatorem Agrippae et adulatorem Augusti merito vocari non posse, quemvis facile intelligere arbitror. Tum quo-

(1) Pro lege Manil. cap. 12.
(2) Lib. L. cap. 19.
(3) Lib. XVI. cap. 4.
(4) Plin. Hist. Nat. Lib. XXII. cap. 6.

que ex alio loco Plinii me contrarium docere posse credo. Nonne enim ablegationem Agrippae vocat *pudendam* (1)? Nonne etiam verbis *praegrave soceri servitium* (2) satis indicat, se non ita de Agrippâ cogitare, quemadmodum Gebauerus immerito statuit?

Tertium argumentum Gebaueri spectat ad locum Plinii, ubi de Agrippis agit (3). Narrat nimirum Plinius Agrippas vocari, qui contra naturam nascantur in pedes procedentes, et addit, credidisse nonnullos M. Vipsanium ita natum et Agrippam appellatum fuisse. His dictis, inquirit porro, an hic Agrippa infelix fuerit: et quamquam eum, tali modo genitum, prope unicum felicitatis exemplum nominare non veretur, tamen nihilo secius ejusdem calamitates recenset, et altius in eas inquirit. Utrum vero omni ex parte vera dixerit, aut certe in aliorum dictis recensendis satis accurate versatus sit, id ad judicandum valde difficile est, quoniam illi scriptores, e quibus sua Plinius hauserit, omnino interierunt, et qui nobis remanserunt, illam a Plinio tractatam rem fere silentio praetergressi sunt. Sed videamus, quomodo in Plinio refutando Gebauerus se gesserit. Primum illa verba Plinii ridicula vocat, *Quamquam is quoque adversâ pedum valetudine, miserâ juventâ, exercito aevo inter arma moriesque.* Cur vero haec ridicula habenda sint, id nos Gebauerus non docuit,

(1) Lib. VII. cap. 45.
(2) Lib. VII. cap. 8.
(3) Lib. laud. cap. laud.

neque ego in illis verbis quidquam ridiculi inesse video. An ridiculum vocari meretur aliquem contra vulgarem nascendi rationem natum esse? Hoc affirmare velle, ridiculum foret. Praeterea tantummodo refert Plinius, quid alii crediderint, non quid ipse de hac re statuerit. Deinde quod ad *miseram juventam* Agrippae spectat, de eâ nihil fere scimus, ideoque neutiquam affirmare possumus, cur illa dictio *miserâ juventâ* ridicula haberi et nominari mereatur. Et bella civilia tam diu erant grassata, ut rari essent, quorum juventus felix dici poterat. Porro Agrippam maximam vitae partem in armis versatum, ideoque mortis periculo saepius expositum fuisse, historia satis superque nos docet. Denique reprehendit Gebauerus Plinium ob illa verba *socerique praegravi servitio* et hac in parte socium habere videtur Frandsenium, ubi dicit, Plinium immerito ita locutum esse, quod socer Augustus cum genero Agrippâ familiariter vixerit, eundemque liberaliter tractaverit (1). Sed hoc est, ut ajunt, nodum in scirpo quaerere. Plinius enim minime videtur respexisse tantummodo illud tempus postremum, per quod Agrippa et Julia connubio conjuncti fuerant, sed etiam antecedentes annos. Neque etiam haud ridiculum esse videtur Gebauero, quod Plinius de *aevi brevitate* locutus sit, quum Agrippa ad annum aetatis 51 pervenerit. Nonne enim omnes, qui recte sapiunt, vitam quam longissimam precantur illi, qui optime de patriâ meritus

(1) Lib. laud. pag. 50.

est? Atque cum inter tales de patriâ bene meritos viros principem suâ aetate locum occupaverit Agrippa, minime mirandum est, Agrippam Plinio judice brevius vixisse. Equidem haud mirarer, si Plinius dixisset, quod saepe dici, a poëtis praecipue, solebat: *nunquam ille mori debuit.* Addit Gebauerus, Plinium impudenter narrasse *omnem Agrippae stirpem terris infelicem fuisse*, et hac narratione non solum Agrippae, sed etiam Juliae patri injuriam fecisse. Si hoc concedimus Gebauero, Plinium hoc loco injuriam fecisse Augusto, nos vicissim ab eo postulare possumus, ut nobis concedat, Plinium Augusti adulatorem certe non fuisse. Sed non capio, quomodo injuriosus erga Agrippam aut Augustum haberi queat is, qui res ita enarraverit, uti se habuerint, praesertim quum simul causam addat hanc, *sed per utrasque Agrippinas maxime, quae Cajum et Domitium Neronem principes genuere, totidem faces generis humani.* Tandem mendacii reum facit Plinium Gebauerus, his verbis: *Nec omnem stirpem fuisse infaustam, vel una Agrippina, Germanici uxor, mater castrorum, foemina utriusque sexûs virtutibus inclyta, satis demonstrat. Cajum, Lucium, Agrippam, Juliam non stirpis contagium, sed Liviae fraudes et scelera perdiderunt, Cajum vero Caesarem facem generis humani, Agrippina non peperit, sed Tiberii mores fecerunt* (1). Sed ipse Gebauerus erravit, dum negat Agrippinam Germanici uxorem infaustam fuisse,

(1) Lib. laud. pag. 819.

quandoquidem longe alia docent nos de hac muliere Tacitus (1), Suetonius (2) et Dio Cassius (3). Quid multa? Ex totâ stirpe Agrippae sola Agrippina, Pomponiae et Agrippae filia, mitem vitae exitum habuit, uti Tacitus (4) testatur.

Superest alius locus Plinii (5), ubi Agrippa *vir rusticitati propior quam deliciis* vocatur, eidemque *torvitas* tribuitur. De hoc igitur loco viri docti multa scripserunt. Gebauerus (6) dicit: *'Malit equidem Plinius eandem* (dignitatem) *pro torvitate haberi, qui etiam in reliquis M. Agrippam virum rusticitati propiorem quam deliciis, dicere non veritus est, frivole omnino et inepte, cum id quod in Agrippâ erat virtus, vitii nomine insigniat.* Deinde conjicit, Plinium voluisse Maecenatis mollitiei et deliciis opponere severiores mores Agrippae, ideoque dixisse hos rusticitati propiores esse. Abbas Blondeus (7) refert, ex Plinio apparere, vultu duro et moribus severis fuisse Agrippam. Frandsenius (8) statuit, Agrippam in ore ac vultu aliquid austeri habuisse, quod Plinius vocábulo *torvitatis* significaverit. Atque alio loco (9) dicit idem vir doctus, Plinium eum *virum rusticitati propiorem*

(1) Lib. IV. Ann. cap. 52. sqq. et Lib. VI. cap. 25. sq.
(2) Vita Tib. cap. 53.
(3) Lib. LVIII. cap. 22.
(4) Lib. III. Ann. cap. 19.
(5) Hist. Nat. Lib. XXXV. cap. 4.
(6) Lib. laud. pag. 232.
(7) Lib. laud. pag. 68.
(8) Lib. laud. pag. 244.
(9) Lib. laud. pag. 255.

quam delidia vocasse, quod Agrippa fuisset amicus veteris artis, nec se unquam mollitiei tradidisset, et sic plane alius, atque Maecenas, exstitisset. Weichertus (1) in illâ opinione versatur, Plinium ambiguitatem his verbis captasse, ut oblique Agrippae natales attingeret, et illam rusticitatem bene convenire cum torvitate putat. Denique dicit Matthesius (2) Agrippam militiae assuetum *rusticati quam deliciis* et elegantiae propiorem fuisse, inde quoque *torvitatem* quandam in vultu apparere.

Jam igitur ex his virorum doctorum locis nihil aliud fere discimus, nisi illos vocabulis duobus, alteri *rusticitatis*, alteri *torvitatis* diversas significationes tribuisse. Videamus igitur de utroque vocabulo.

Prius illud *rusticitas*, si proprie sumitur, significat illum corporis animique habitum, qui in hominibus rusticis vulgo apparet, et tam in malam quam in bonam partem accipi solet. In bonam idem est atque simplicitas, diligentia: in malam, ponitur pro imperitiâ et fugâ elegantiae et cultûs.

Plinius, ut ad eum redeamus, mihi videtur Agrippae tribuisse *rusticitatem*, non quod rure natus esset, uti voluit Weichertus, sed quod antiquum obtinebat, prisci moris tenax erat, et urbanorum elegantias mollitiemque spernebat.

Deinde ubi dicit Plinius: *Verum illa torvitas duas tabulas mercata est*, tam ad vultum, quam ad naturam

(1) Lib. laud. pag. 83.
(2) Lib. laud. pag. 26.

Agrippae respexisse, et hoc significasse mihi videtur: quamvis Agrippa adspectu torvus fuerit et elegantiarum urbanarum contemtor, tamen animo minime tam torvo fuit, ut sperneret tabularum pretia. Idem ille homo torvus, tamen artes amabat. Atque hanc ob causam Plinii verba in laudem Agrippae, non vero in ipsius vituperium accipienda esse censeo (1).

Quoniam vero mentionem fecimus de naturâ et indole Agrippae, hîc errorem memoriae in Mureto obiter indicabo. Scribit hic vir eruditissimus (2): *Plinius aliquando eum* vino indulgentiorem fuisse *dicit*. Equidem de hoc vitio nec volam nec vestigium apud Plinium inveni. Refert ille tantummodo, Agrippae a temulento Cicerone, Marci filio, scyphum aliquando impactum fuisse (3). Ex his igitur verbis Plinii quidem apparet, quod etiam aliunde novimus, Ciceronem filium vino indulsisse et Graecos imitatum esse, qui in conviviis bibere nolenti minari solebant verbis πῖθι ἢ ἄπιθι, eoque dicto vinum infundebant in vultum recusantis; minime vero ipsum Agrippam vino-

(1) Idem etiam statuisse Gebauerum de hoc loco constat ex ejus verbis pag. 832. *quem* (Agrippam) *et alii scriptores et ipse Plinius et oratione, et cultu, et aperibus magnificum fuisse perhibent*, et pag. 834. *Bonorum denique artium amor atque scientia facile colligere est ex orafione ejus magnificâ, maximoque, ut Plinius ait, civium dignâ.* Neque Frandsenium dissensisse ab hoc judicio vidimus ex ejus verbis, quae leguntur pag. 176 lib. laud.

(2) Tom. IV. pag. 28.

(3) Hist. Nat. Lib. XIV. cap. 22.

lentiae deditum fuisse. Neque etiam ex Plinii verbis demonstrari potest moderatio animi Agrippae, quam inde colligere voluit Gebauerus (1).

Etsi jam satis multa de Plinio diximus, tamen nonnulla adhuc dicenda nobis supersunt.

Frandsenius non modo dicit, Plinium honorificam quidem mentionem de aedilitate Agrippae fecisse, et dolendum esse, quod plura non retulerit, praesertim cum ipsi Agrippae scripta ad manus fuerint, verum etiam contendit, Plinium non satis accurate de Agrippae aedilitate scripsisse (2).

Quod ad prius attinet, quo Plinius dicitur non satis multa tradidisse de aedilitate Agrippae, lubens fateor, optandum fuisse, ut plura a Plinio relata essent, praesertim cum opus Agrippae *de Aedilitate* legisse videatur. Sed si nobiscum reputamus, quam multis negotiis obstrictus fuerit Plinius, eumque nullum librum legisse, quem non excerperet, et simul recordamur, a verosimilitudine neutiquam abhorrere, Agrippae scripta aetate Plinii adhuc satis cognita et legentium manibus teri solita fuisse, non modo facile excusabimus Plinium, quod plura de hoc argumento non scripserit, verum etiam assentiemur Plinio juniori de avunculi sui scriptis agenti, et quam multa scripserit referenti (3).

---

(1) Lib. laud. pag. 833.
(2) Frandsen, Lib. laud. pag. 62, 156 et 201.
(3) Lib. III. epist. 5.

Caeterum vero, an in referendis rebus Agrippae negligens fuerit, hoc ulteriore inquisitione dignum puto.

Haec accusatio Frandsenii uno tantum illo loco nititur, quo Plinius dicit: *Agrippa vero in aedilitate suâ adjectâ aquâ Virgine, ceteris corrivatis atque emandatis, lacus septingentos fecit* (1). In hoc loco nimirum reprehendit Frandsenius verba *in aedilitate suâ*, quum ex Frontino (2) et Dione Cassio (3) constet, illam aquam demum adductam esse 14 annis post gestam ab Agrippâ aedilitatem, h. e. anno U. C. 735. Porro incredibile videtur Frandsenio, tot et tanta opera, quot et quanta a Plinio commemorantur, uno anno peragi potuisse, nedum anno U. C. 721, quippe quo anno res in illo statu essent, ut bellum contra Antonium gerendum instaret (4).

Hanc difficultatem discrepantiamque Plinii cum duobus memoratis scriptoribus sensit Gebauerus, eamque conjecturâ tollere studuit.

Quoniam vero scripta Gebaueri in paucorum manibus esse possunt ob raritatem exemplarium, totum locum, quamvis aliquanto longiorem, referre operae pretium duco. En igitur Gebaueri verba (5):

Illud certa ratione constat, C. Sextio Saturnino et Q. Lucretio Vespillone Coss. singularem iterum aquarum curam suscepisse (Agrippam), *et, reliquis emen-*

(1) Hist. Nat. Lib. XXXVI. cap. 15.
(2) De aquaeductibus. Art. 10.
(3) Lib. LIV. cap. 11.
(4) Lib. laud. pag. 156.
(5) Lib. laud. pag. 838–40.

datis et restauratis, aquam insuper Virginem in urbem Romam deduxisse. Hoc distincte memorant cum Dio (m) *et Frontinus* (n), *tum Plinius* (o) *quoque, qui tamen rursus nobis aliquid negotii facessit, cum Agrippam contra reliquorum fidem in aedilitate ista omnia effecisse scribat. Non levis ceteroquin apud nos Plinii est auctoritas, ut eundem supini adeo erroris reum agere omnino vereamur, neque tamen ilia eo valitura est momento, ut et Dionis et Frontini vincat assertionem. Non attigere hunc locum Gronovius et Hardouinus, unus Dalechampius ex Msto, uti videtur, variantem lectionem, lucalentum loci dubii argumentum, attulit, quae tamen ipsa ob statim dicenda, minus se nobis probat. Dabimus itaque operam, ut temporum ratio maneat immota, simul Plinio sua constet integritas, quamquam praeter conjecturas nihil nos esse allaturos lubenter fatemur. Loca Plinii huc faciunt duo:* cloacas operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atque (ut paulo ante retulimus) urbe pensili, subterque navigatâ. A M. Agrippâ in aedilitate post consulatum per meatus corrivati septem amnes, cursuque praecipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti, insuper mole imbrium concitati vada ac latera quatiunt. *Inde iterum:* Agrippa vero in aedilitate suâ, adjectâ Virgine aquâ,

(m) *Loc. cit.* (Lib. LIV) *p. 528.*

(n) *De aquaed. Lib. I. ex edit. Poleni, p. 80, 371, 373, 388, 201. Keysler Reisebeschrib. P. I. p. 629, not. d. Pignor. de Serv. p. m. 81.*

(o) *XXXVI. c. 15. § 24. n. 9.*

caeteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit. Praeterea salientes centum quinque, castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta aerea aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo spatio. Adjicit ipse in aedilitatis suae commemoratione ludos undesexaginta diebus factos. *Uterque laborare videtur, quos ut restituamus, alterum rectius interpungemus, alterum a glossemate liberabimus. In priore ita legas:* Urbe pensili subterque navigatâ a M. Agrippâ in aedilitate post consulatum. Per meatus corrivati septem amnes, cursuque praecipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti. *Punctum male collocatum verum sensum intervertit, et ultima prioris periodi verba perperam subsequentis caput fecit. Agrippa aedilis per cloacas prius purgatas urbem subternavigavit, uti Dio clare docet, de corrivatis autem amnibus et quae sequuntur, neque idem neque alii quidquam referunt. Immo qui cum curâ ista perleget, facile deprehendet, tantorum operum confectorum gloriam non Agrippae, sed Tarquinio Prisco tribui* (*p*), *qui Quirites, immensum laborem conscitâ etiam nece fugientes, ut tamen rem conficerent, pudore atque ignominiâ adegit. Haec emendatio eo se nomine commendat, quod plane nihil in textu mutet, cum Dalechampii, et, qui eum sequuntur, aut codex aut ingenium particulae* A,

(*p*) *Auctoritate Livii. L. I. c. 38. vel Tarquinio superbo potius. Liv. L. I. c. 56.*

τὸ Id *substituat, plures casus rectos in obliquos mutet, et duo integra verba* fecit, *et* qui *inserat, ut nihil de rationibus historicis et interpretationis verae regulis hic repetamus. Uti autem est errorum laeta seges, ita hic statim alium peperit. Cum enim aliquis Plinii lector, ex priori isto loco jam corrupto ab Agrippâ in aedilitate per meatus* corrivatos *septem amnes intelligeret, et mox in alterum incidens legeret;* Agrippa vero adjectâ virgine aquâ caeteris *corrivatis* atque emendatis, lacus DCC. fecit, *et reliqua, eaque omnia* annuo spatio, *improvidus collegit, unum narrari negotium aut certe id quoque in aedilitate esse factum, maxime cum ipse Plinius statim aedilitatis Agrippae commemorationem adjiciat. Addidit itaque in suo codice verbis:* Agrippa vero, τὸ in aedilitate suâ, *illustrationis puto causâ, quod quam facile ab imperito librario in textum recipi potuerit, in aprico est. Apprime nostram conjecturam juvat, quod alio loco Plinius de eâdem re loquatur, nullâ plane injectâ aedilitatis mentione. Extat ille in Libro XXXI* (*q*) *Naturalis Historiae, in quo,* primus, *inquit, eam* (*Marciam Aquam*) in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in Praeturâ. Rursusque restituit Agrippa. Idem et Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo II. M. pass. Praenestinâ viâ. *Nihilominus ad hunc lapidem impegit Chiffletius in Dissert. De Aquâ Virgine, qui eam* opus aedilitatis Agrippae *appellat, excusandus omnino,*

(*q*) *Cap. 3. § 24. Casiod. VII. 6.*

quod Plinium vel potius mendosum Plinii locum auctorem laudare possit, non tamen plane sine negligentiae notâ dimittendus, quod Dionem imprimis et Frontinum V. C. et aquarum sub Nervâ curatorem non consuluerit (r).

Si has rationes a Gebauero propositas sequimur, Plinium in concordiam redigi cum caeteris scriptoribus videmus, quatenus nimirum ad tempus, sive ad annum 721 spectat. Sed Frandsenius ulterius, ut dixi, progressus est, et contendit, illa omnia uno anno peragi non potuisse.

Hic nodus solvitur, si cum Gebauero statuamus, illa verba *in aedilitate suâ* pro additamento alicujus descriptoris habenda esse, quae postea in contextum irrepserint; et addamus, facile fieri potuisse, ut illud ipsum additamentum ansam praebuerit, alteri additamento, *eaque omnia annuo spatio.*

Quodsi enim Plinius re verâ scripsisset *in aedilitate suâ*, sine dubio omisisset ultima illa *eaque omnia annuo spatio*, nisi quis forte credat, Plinium lectores suos docere voluisse, aedilitatem esse magistratum annuum.

(r) *Suet. in Aug. c. 42.*

ADDITAMENTA.

Quandoquidem ex omnibus recentioris aetatis scriptoribus, qui de vitâ et rebus gestis Agrippae egerunt, Frandsenius illè est, qui hoc argumentum diligentissime tractavit; idcirco nemini mirum videri poterit, cur hujus viri docti majorem, quam reliquorum, rationem habuerim, hujus librum praecipue legerim, atque ex hoc libro materiam conscribendi speciminis desumserim. Interim tamen etiam nonnulla, licet minoris momenti, addam.

Pag. 59 refert Frandsenius ex Dione Cassio, Agrippam in gratiam Augusti ludos Apollinares splendidissime egisse, narratque Agrippam in eo sibi admodum placuisse, quod viri equestris ordinis in circo contra feras bestias dimicassent (1). Hoc non legitur apud

(1) Dio Cass. Lib. XLVIII. cap. 33.

Dionem. Contra ea enim legimus alio loco (1) *τῇ τε Τροίᾳ καλουμένῃ διὰ τῶν εὐγενῶν παίδων ἐγαυρώθη.* Itaque illud gaudium Agrippae ad ludum Trojanum solummodo spectavit.

Pag. 78 tradit vir doctus, Maecenatem ab Augusto Romae et Italiae praefectum creatum fuisse (2), nec tamen, etsi Horatius ipsum summis laudibus extulerit (3), huic muneri parem exstitisse, eâque de causâ ei adjunctum fuisse Agrippam tanquam collegam. Etsi haec vera sunt, tamen praeterea animadvertendum est, ipsum Agrippam quoque, quamvis strenuum et intrepidum, in novo illo munere saepius auxilio Augusti indiguisse. Novimus hoc ex Plutarcho, ubi dicit (4): *Καίσαρα δ' Ἀγρίππας ἀνεκαλεῖτο πολλάκις ἀπὸ Ῥώμης, γράφων, ὡς τῶν ἐκεῖ πραγμάτων τὴν παρουσίαν αὐτοῦ ποθούντων.*

Pag. 99. Hoc loco agitur de pace Brundusiensi et quaeritur, utrum Agrippa operam unâ cum aliis huic paci tribuerit, nec ne.

Scimus mortem Fulviae occasionem reconciliationis inter Augustum et Antonium dedisse, et sororem Augusti Octaviam Antonio uxorem datam. Reconciliationis imprimis auctor Coccejus Nerva memoratur. Frandsenius vero l. l. dicit: *An Agrippa aliquid ad hanc pacem conficiendam contulerit, in medium relin-*

(1) Dio Cass. Lib. XLVIII. cap. 20.
(2) Tac. Ann. Lib. VI. cap. 11. Vell. Pat. Lib. II. cap. 88. Dio Cass. Lib. LI. cap. 3.
(3) Hor. Lib. III. carm. 29. vs. 25.
(4) Vit. Ant. cap. 73.

quo, quamquam alii id credunt. Vellem Frandsenius illos alios nominasset. Matthesius haec citat (1): *Stuartus (2) legatos, qui hanc pacem composuere, fuisse, dicit Maecenatem et Agrippam Caesaris; Antonii Asinium Pollionem et Fontejum Capitonem. At apud nullum scriptorem veterem hoc inveni.* Certissime Stuartus hoc non invenit in scriptoribus, quos citat (3). Apud Plutarchum et Dionem nihil de pacis auctoribus narratur. Appianus (4) memorat, quam viam Coccejus inierit, et deinde, exercitum Caesaris legatos elegisse et illos legatos ad pacem componendam constituisse hos: Coccejum utriusque imperatoris amicum, ex parte Antonii, Pollionem, e Caesaris parte, Maecenatem. Apud Horatium (5) haec legimus:

Huc venturus erat Maecenas optimus, atque
Coccejus, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
— — — Interea Maecenas advenit, atque
Coccejus, Capitoque simul Fontejus, ad unguem
Factus homo; Antoni non ut magis alter, amicus.

Hi sunt scriptores veteres, qui de illâ pace Brundusiensi egerunt, eorumque nemo Agrippam nominavit. At vel sic tamen fieri potest, ut etiam Agrippa

(1) Lib. laud. pag. 32. in ann.
(2) Rom. gesch. dl. XIX. pag. 531.
(3) Plutarchum, Appianum et Dionem.
(4) De bell. civ. Lib. V. cap. 60-64.
(5) Lib. I. sat. 5. vs. 27. sqq.

unus ex legatis paci faciendae fuerit, primum quoniam apud commentatorem Cruquii leginus haec: *Ab Antonio missus fuerat Fontejus Capito legatus, ab Augusto Maecenas, intercedente Coccejo Nervâ, proavo Nervae imperatoris, qui et Augusto et Antonio gratus erat, cum Agrippâ.* Deinde vero quoniam videmus apud Plutarchum (1), Agrippam alio tempore item reconciliatorem amicitiae inter Augustum et Antonium fuisse.

Pag. 195. Sequitur nunc apud Frandsenium caput, in quo loca Plinii commemorantur, desumta ex scriptis Agrippae Geographicis. Dicit quidem doctissimus Frandsenius, se illorum locorum suis numeris absolutum indicem daturum esse, attamen virum doctum tres locos praeteriisse animadverti.

Primus legitur in Hist. Nat. lib. IV. cap. 12. *Dromos Achilleos, cujus longitudinem octogìnta millium passuum tradit Agrippa.*

Alter exstat in lib. VI. cap. 13. *Oram omnem a Caucaso praealtis rupibus inaccesso, patere CCCCXXV mill. pass. auctor est Agrippa.*

Tertius invenitur in lib. VI. cap. 30. *Aethiopum terram universam cum mari rubro patere in longitudinem semel et vicies centena LXX mill. passuum, in latitudinem cum superiore Aegypto duodecies centena XCVII. M. Agrippa existimavit.*

(1) Vit. Ant. cap. 35.

Atque, his dictis, libello meo finem imponere possem: sed vel sic tamen, quoniam illa sic dicta *Bibliotheca Classica* (1) juvenum manibus praecipue teritur, et ab ipsis in consilium saepissime vocatur, ab hoc loco non alienum mihi visum est paucis ostendere (quantum scilicet pertinet ad Agrippam) quâ cautione opus sit, ut ne per illam bibliothecam in errores inducamur.

Pag. 29 Agrippam quidem citat, sed de eo nihil fere refert, et ne commemorat quidem ea omnia, quae apud Horatium de Agrippâ leguntur.

Praeterea verbo monendum est, vitium typographicum primae editionis (2) in postremâ remansisse, si quidem Agrippa Postumus dicitur fuisse *Vespasiani* loco *Vipsanii* Agrippae filius.

Pag. 30 *Agrippina. Tiberii uxor, quâ repudiatâ illa Juliam duxit Augusti filiam. Suet. in Tib.* 7, 1. *M. Agrippae filia Augusti neptis. Nupta fuit Germanico* etc. Duae igitur nominantur Agrippinae, altera Tiberii, altera Germanici uxor. Prioris pater non commemoratur: posterioris dicitur fuisse Agrippa. Tenendum vero est, utriusque Agrippinae parentem fuisse Agrippam. Tiberii uxor fuit Agrippae et Pomponiae filia: Germanici uxor fuit filia Agrippae et Juliae.

---

(1) Biblioth. Class. s. Lexic. Man. quo nomina propria pleraque apud script. Graec. et Rom. max. class. obvia illustrantur. Edit. tertia. Daventriae, 1825.

(2) Anni 1794.

Pag. 106 in voce *Augustus* legimus: *Bis imperio se abdicare voluit, saltem se velle simulavit, sed Maecenatis et Agrippae precibus et rationibus permotus illud retinuit.* Etsi verum est, Augustum bis prae se tulisse velle se deponere imperium, tamen falsum est, Augustum illud imperium retinuisse precibus Maecenatis et Agrippae commotum, cum e Dione Cassio satis superque constet, modo illae ibi commemoratae orationes verae nec fictae sint, Agrippam suasisse Augusto, ut imperium deponeret.

Pag. 296 in voce *Julia* haec leguntur: *Uxor. — Agrippae data, ex illo trium filiorum totidemque filiarum mater.* Hîc igitur item a vero aberravit auctor. Julia enim *tres* quidem filios, sed *duas* modo filias ex Agrippâ peperit. Hoc diserte nos docet Suetonius (1), cujus haec sunt verba: *Nepotes ex Agrippâ et Juliâ tres habuit* (Augustus) *Cajum, Lucium et Agrippam, neptes duas Juliam et Agrippinam.* Videtur igitur auctor primam Agrippae filiam ex Pomponiâ natam annumerasse filiabus Juliae.

Cum hac Bibliothecâ Classicâ, quae in patriâ nostrâ imprimis celebratur, conjungi potest opus Gallicum similis fere argumenti, sed multo locupletius (2).

Hujus operis auctor testatur quidem, se ex fontibus sua hausisse et recentiores item in consilium adhi-

(1) Vit. Aug. cap. 63.

(2) Titulus est: Dictionnaire Classique de l'Antiquité sacrée et profane par M. N. Bouillet, 2e edition. Paris, 1826.

buisse, sed, quod ad fontes attinet, ita loquitur, ut facile appareat, eum omnia misere turbare. Dicit enim in praefatione (1): *De plus, nous avons fréquemment remonté aux sources mêmes; ainsi, par exemple, avons nous presque perpétuellement consulté la Bible, Homère, Tite Live, Cicéron, Virgile, Horace, Pausanias etc.* Verum quum a consilio meo plane alienum sit, altius inquirere in hoc argumentum, videamus modo, quid de Agrippâ dixerit.

Primum vocatur Agrippa *auctor victoriae apud Philippos*; sed quamquam non incredibile est, Agrippam huic bello interfuisse, et Octaviano officia sua praestitisse, tamen non video, cur Agrippa *auctor victoriae* appellari queat, quum nullum testimonium apud scriptores veteres exstet, quo certo affirmare possimus, Agrippam hujus belli participem, nedum victoriae auctorem fuisse, quemadmodum apud Actium et alibi.

Tum mentionem facit auctor pugnae *apud Mylas*, sed alterius *apud Naulochos* nullam mentionem facit, quod tamen facere debuerat, si quidem Agrippa bis in hoc bello Siculo Pompejum fudit, et duplicem victoriam de eo reportavit.

Deinde dicit *Augustum vehementi morbo laborantem destinasse Agrippam successorem, eique imperasse, ut Marcellam repudiaret, et Juliam uxorem duceret.* Haec ita referuntur, ac si omnia uno eodemque temporis momento peracta essent, quod tamen longe secus est. Laboravit morbo Augustus, et Agrippae an-

(1) Pag. IX.

nulum suum dedit anno U. C. 731: at vero biennio demum post Juliam uxorem duxit Agrippa, quum interea temporis lites cum Marcello locum habuissent, Agrippa in Syriam ablegatus, et Marcellus adeo mortuus esset.

Praeterea primam Agrippae uxorem appellat *Pompejam*, quum fuisset *Pomponia*, cujus filiam Vipsaniam Agrippinam plane silentio praeterit.

Denique citat idem auctor scriptores, unde sua hauserit his verbis: *Suet. et Plut., Aug. — Hor. I. od. 6.* Ex his novimus Suetonium, Plutarchum et Horatium, illum *Aug.* vero ignoramus. Novimus quidem *Augustum*, sed nescimus illum de Agrippâ scripsisse. Quid vero si illud *Aug.* significet *vitam Augusti?* Respondemus, nos quidem minime fugere, vitam Augusti a Suetonio descriptam fuisse, sed nescire illam vitam quoque a Plutarcho esse descriptam, aut certe ad nostram aetatem pervenisse. Verum talia multi Galli curare non solent.

Tandem separatim de filiis Agrippae Cajo et Postumo Agrippâ agit, sed Lucium plane omisit.

Postremo, si qui forte sint, qui scire cupiant, quinam illi scriptores recentiores sint, qui de vitâ et rebus Agrippae egerint, illorum indicem exhibebo:

Joannes Glandorp, Onomast. Hist. Rom. (pag. 906 et 907) Francofurti, 1589.

Ge. Christ. Gebauer, de M. Agrippâ. Lipsiae, 1717. Invenitur in vol. II. (pag. 803-844) Gebaueri Exerci-

tationum Academicarum a Jos. Just. Weissmantelio edito Erfordiae, 1777.

L'Abbé le Blond. Mémoire sur la vie et les medailles d'Agrippa, Gendre d'Auguste. Hist. de l'Acad. Roy. des Inscriptions et Bell. Lettres Tom. XL. (pag. 37-68) Paris, 1780.

Josephus Eckhel, doctr. num. vet. pars II. vol. VI. M. Agrippa (pag. 162-166). Vindobonae, 1796.

Visconti. Iconographie Romaine par le Chevalier Visconti. Tom. I. pag. 201. Paris, 1817.

P. S. Frandsen. M. Vipsanius Agrippa. Eine historische Untersuchung über dessen Leben und Wirken. Altona, 1836.

M. Augustus Weichert. Imp. Caes. Augusti scriptorum reliquiae. (L. I. excurs. 3. pag. 81. sqq. de Salvidieno Rufo et M. Vipsanio Agrippâ.) Grimae, 1841.

Didericus van Lankeren Matthes. Specimen Historico Literarium de M. Vipsanii Agrippae in Rempublicam Romanam meritis. Amst., 1841.

EMENDATIO.

Ne manifesti erroris arguar, nec alios etiam in errorem inducam, breviter admonendum esse censeo, me pag. 31. lapsum esse, ubi dixi, nonnullos credidisse, haec Horatii verba:

Malthinus tunicis demissis ambulat:

in Agrippam referenda esse, quum de sequentibus

est qui
Inguen ad obscaenum subductis usque facetus:

haec suspicio valeat. De re ipsâ vix opus est aliquid addere. Cuique enim perspicuum erit, haec Horatii verba minime cum Agrippae indole convenire. Caeterum conferendus est locus Weicherti, quem supra memoravi; hic enim vir doctus rectissime hanc suspicionem refellit.